

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE HIBERNVM

A DIE XIV. OCTOBR.

CIOIDCCCLXXXII.

IN CHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. IOH. LVDOV. FRIDERICVS
DIETZ
CVM SENATV.

*H*oratus in libro primo Sermonum, Satira prima, v. 20, ubi Iouens de impiis mortali-
um cupiditatibus indignantem descripsit, his verbis vsus est:

Quid causae est, merito quin illis Iupiter ambas.

Iratus buccas inflat, neque se fore posthac

Tam facilem dicat, votis vt praebat aurem?

Buccis dei inflatis quid poeta innuat, interpretes saniores absque vlla haesitatione explicare potuerunt, quum *Flaccus* ipse eas *ira* turgere dixerit. Stoliditatem hominum *Iouem* tanquam minimum imitari nobis quidem ineptum videtur, etsi buccas inflatas intra stuporis signa referri non negemus. De (*sola*) arrogantia, quae omnino buccas distendere solet, poetam hoc loco non cogitasse, vox *iratus* docet, etsi superbi, qui sibi nimium sumunt, *tumere* a Latinis dicantur. Sic *Horatus* regibus deuictis *tumidas* minas tribuit Od. IV. 3, sic idem Epist. I. v. 36. interrogat: *Laudis* amore *tumes*? Cur vero *ira Iouis* ex *Horatii* sententia in *buccis* potissimum eius emineat, rationem idoneam interpretes nobis quidem non exhibuisse videntur. Omnibus iratis venas inflari, sanguinem ab imis praecordiis exactuantem versus faciem agi, atque omnem faciem inde intumescere non ignoramus. Non autem *buccae* semper, sed saepius *oculi* iratorum prominent (quare *Seneca* Epist. 94. aliquem *plenis & tumensibus oculis* imperare dixit) saepius *nares* quasi extuberant. Sagacissimus irae contemplator, *Seneca* nullam *buccarum* mentionem inter consueta eius signa fecit. Quod si irati *intumere* dicantur (v. e. apud *Quintilianum* Fast. VI. 487.) non propter *buccas*, sed tam oris, quam rotius corporis habitum, ac praesertim propter iecur bile tumens ea locutio adhibetur. (Cor iracundorum *tumere* *Klopfstockius* ita enuntiauit: Sein Blut hub sich, und wurde feuriger, und goß sich vom hoch aufschwellenden Herzen in die Minen empor) In vernacula metaphora a gallis translata cristam iratis *tumere* dicimus. Quare ab *Horatio* partem vultus, *buccas*, pro tota facie positam statueremus, nisi cur hanc potissimum partem caeteris praetulerit, grauior quaedam ratio subesse nobis videretur. Non tam iram ipsam, quam effectum eius, comites irae *minas* poetam describere voluisse credimus, statim sequentibus *Iouis* verbis permoti, quibus se posthac non tam facilem fore asseuerat. *Minantium* omnino est sicuti pedibus terram quatere, ita & *buccas* inflare, non solum vt vehementia ostendant, sed etiam

vt

vt grauitatem minis addant. Terrorem quum incutere minantes cupiant, contemptum omnino erga eos praese ferunt, quorum causa buccae tument, ideoque aliquantum arrogantiae irae immiscent. Quilibet laesus indigne ferre solet offensionem, quare etiam hanc ob causam superbum aliquid atque ferox inesse minis videmus. Sic *Chremes* apud *Horatium* Art. Poet. v. 94. *zumido ore loqui dicitur*, non ob iram, sed quia *delirigar*, & minas tragica oratione iactat. Sic pro muneris sui ratione (mit einer *Amtsminne*). *Neptunus* ventis notum illud: *Quos ego* acclamans procul dubio buccas inflauit. Quum autem minae semper fere iram comitentur, *Plautus* *Castr.* III. 3. *sufflare se alicui pro irasci dixit*. Propter totius corporis tumorem iratis buccas inflatas non tribui, inde patet, quod etiam aliis mentis perturbacionibus vehementioribus *spe* v. c. aut *gaudio* agitati *inflari* quidem illis, nunquam autem *buccis* tumere dicantur. Genae autem mentem commotam maxime produunt, quippe quae pallent, aut ardent, marcent, aut *Plinio* *Hist. nat.* XI. 37. teste, hilaritatem & risum indicant. Inflatis buccis opponuntur *stupes* in hominibus imbecillis, neque vilo affectu commotis. Quomodo vero buccae inflatae (*Plausbacken*) quae militem gloriosum potius, quam deum decent, grauitati & dignitati summi *Iouis* congruant, quaeri possent. Atat asiam omnino personam *Iupiter* agit in *Homeri* carminibus, vbi supercilio omnia commouet, in *Pbaedri* fabulis (IV. 74.) vbi vel canes admittens fulmina quatit, aliisque in poematibus seriis, aliam apud *Lucianum*, qui ipsi aeque ac caeteris numinibus irrisit; apud *Tassonium*, qui inter alia ei Hispanicam grauitatem (*Spanische Grandezza*) tribuit, omnesque scriptores ludicos atque iocosos. *Horatio* satiram scribenti phrasi comica vti licuit, quae apud Graecos Romanosque in prouerbium abierat. Quare ipse statim subiunxit:

Praeterèa, ne sic, vt qui *iocularia*, *ridens*
Percurrat.

Supra igitur eandem orationem adhibuerat, qua utebantur, quicumque iocularia carmina atque Atellanae conscribebant. Pariter *Wielandus* noster in narratione iocosa (*Kom. Erz.*) p. 114.) de *Iunone* dixit: *Der Goettinn schwillt der Kamm.* — Ne autem expectationem vestram, *Commilitones aestumatiissimi*, iusto diutius suspensam teneamus, iam subsistamus, atque ad delineandam praelectionum hibernarum tabulam locupletissimam nos accingamus. Id solum restat, vt lectionibus oblati vti, frequentia & industria Vestra ardorem praeceptorum incendere moneamini. Quicumque Vestrum autem admonitione nostra non egent, meminertint versusum notissimorum *Ouidii*:

Qui monet, vt facias, quod iam facis, ille monendo
Ladat, & hortari comprobat acta suo.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IOH. GEORG BECHTOLD theologiam dogmaticam duce ven. *Dœderlein* hora VIII. & X. & theologiam moralem praeunte ven. *Lessio* hora VIII. praeleget, ad lectiones symbolicas & institutiones theologiae pastorales aequè paratus, sex vbi que per hebdomadem diebus docturus.

D. LVD. BENI. OUVRIER. Hora VIII - IX. Theolog. moralem duce *Lessio*. Hora IX - X. theolog. dogmaticam ad ductum b. *Danovii*; tamen iis non deerit, qui institutiones *Seilerianas* praeoptant: alteram horam, quae commoda fuerit *Dominis* auditoribus suo tempore indicabit. Hor. XI - XII. historiam eccles. N. T. ad *Compendium Moshemianum* tradet. Duabus per hebdom. horis, *Homileticam* suam explicabit, & exercitationes practicas instituet. Aliquot horas impendet *examinatorio* in theologiam dogmaticam.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. IX - X. & XI - XII. singulis diebus profectis theologiam dogmaticam ex *HEILMANNO* tradet. Publice *historiam ecclesiasticam* saeculi XVIII. enarrabit, hora auditoribus commoda.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH. *Pandectas* hor. IX - X. & XI - XII. *ius canonicum & ecclesiasticum Protestantium* hor. X - XI., *ius criminale* hor. II - III. sex per hebdomadem diebus docebit, vsurus compendiis I. AVG. HELFELDII & G. L. BOEHMERI & suis Institutionibus iur. crim. Ad collegium *examinatorium & disputatorium* quoque paratus est.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS *Publice* binis per hebdomadem diebus hor. X - XI. habebit *praelectiones encyclopaedicas* siue introductorias in vniuersum studium iuris. Priuatim hor VIII - IX. Ius publicum Imp. R. G. Püttero, hor. IX - X. Ius feudale Boelméro duce docebit. Hor. II - III. Ius Germanicum priuatim Selchowii compendio vsurus tradet, Hor. V - VI. Historiam Imperii R. G. eodem praeunte narrabit.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hor. X - XI. Collegium processuale practicum denuo aperiet ad filium CARRACHII. Hora I - II. diebus Lunae & Iouis ius priuatim principum, reliquis diebus eadem hora processum summor. imp. tribunal. tradet, praeunte PÜTTERO. Eodem duce hora III - IV. ius publicum Germanicum, hora IV - V. historiam imperii, docebit.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER *privatas praelectiones* hora 8 - 9. ad HEINECCII *elementa iuris civilis secundum ordinem institutionum* ex editione III. HOEPFNERI instituet. Hora 10 - 11. *historiam iuris vniuersi* per Germaniam obtinentis ex SELCHOWII compendio docebit. Hora quae auditoribus commoda videbitur ad BOEHMERI *doctrinam de actionibus* commentabitur. *Publice* singulis diebus lunae & veneris hor. 5 - 6. doctrinam de *appellationibus* ad librum 49. D. proponet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hor. VIII. Frid. Hoffmanni pathologiam specialem explicabit, atque, pro Dn. Commilitonum arbitrio, eiusdem therapiam specialem adiunget. Hor. VIII. Iurisprudentiae medicae iam ad finem perductae Politiam medicam, ad sua praecepta typis extantia, subiunget. Hor. II. pomeridiana Io. Zach. Platneri institutiones chirurgiae rationalis interpretabitur. Vbi vero Dn. Commilitonum nonnulli aliam quamcunque Medicinae partem discere malint, eorum commodis nunquam deerit.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, Prof. Med. Ord. H. IX. - X. Physiologiam praeunte Hallerö, h. XI - XII. Osteologiam & Myologiam duce Plénckio docebit. Praelectiones in Pathologiam generalem & Medicinam Veterinariam desiderantibus haud deerit. Anatomiam practicam horis consuetis tradet.

CAROLVS GVILELM. CHRIST. MÜLLER Dr. Physicam experimentalem hora auditoribus commoda tradet. H. VIII. Chemiam dogmatico - experimentalem docebit: Operationes praecipuas singulis saturni diebus inde ab hora matut. VIII. instituet. H. IX. Materiam medicam secundum b. Linnei epitomen, & h. II. Mineralogiam duce Cronstedtio, explicabit. Praelectiones quoque in Chirurgiam, artemque obstetricandi offert.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM. Log. Met. & Math. P. P. P. Acaemicae biblioth. Praefectus. Hora X. Analysin finitorum & infinitorum; H. II. vero mathefin puram praeunte b. Wolfio im Auszuge aus den Anfangsgründen; H. IV. logicam & H. V. metaphisicam ad ductum compendiorum a se editorum &, si vires sufficiunt, tempore auditoribus commodo mathefin applicatam tradet. Bibliothecam publicam tempore confucto aperiet.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ LL. Or. & Gr. P. P. O. hor. X - XI. epistolam Pauli ad Romanos nec non *utramque Petrinam* interpretabitur. Hor. II - III. vniuersos N. T. libros, hor. III - IV. partem librorum *Veteris Instrumenti* cursorie cum selecto auditorum numero, intra priuatissimos parietes perleget — hor. I - II. *linguam anglicanam* docebit. D.

D. CHRIST. HENRICVS SCHMID, Prof. Poeseos & Eloqu. P. O. *Publice* Hor. II - III. *Plinii* epistolas illustrabit; *privatim* Hor. III - IV. *Encyclopædiam scientiarum omnium* duce *Subzero*, tradet; Hor. IV - V. *Antiquitates Romanas* praecunte *Grunero* enarrabit. *Artis poeticae* aut *rhetorices* elementa desiderantibus non deerit.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER *Hist. P. P. O.* Hora VIII. *Historiam Ecclesiasticam N. T.*, duce *Schroeckio*. Hora X. *Historiam Europaeam* ad *Comp. suum*. Hora XI. *Historiam Vniuersalem* ad *Comp. suum* enarrabit. *Offert & Praelectiones* in *Historiam Imperii R. G.* ad *Comp. Selchovianum*, in *Historiam Imperii Procerum* ad *Comp. suum*, in *Historiam literariam* ad *Comp. Baumannianum*, in *Statisticam* ad *Comp. Baumannianum*, in *Heraldicam* ad *Comp. Gatterianum*, in *Philosophiam moralem* ad *Compendium suum*.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN docebit hor. mat. IX - X. *Technologiam* duce *Beckmanno*; secundum propria vero principia hor. X - XI. *Ius naturae & Gentium*; hor. III - IV. *notitiam rerum publicarum Europae*, die *STATISTIK*; & hor. IV - V. *oeconomiam politicam* s. vniuersas disciplinas camerales; iis quoque operam suam dicaturus, qui *commerciorum & monetarum scientiam* tractare, vel *praxin politico-cameralem* exercere cupiunt.

D. IO. WILH. BAVMER, *hist. nat. & Chemiae* Prof. hor. X. *Mineralogiam* ad *compendium suum* typis excusum tradet, ac simul obiecta huc spectantia oculis subiiciet. Hor. XI. *Chemiam practicam*, ad suas institutiones, iam sub prelo typographico sudantes, proponet. *Experimentis chemicis Saturni* dies pro more dicabit.

GEORG FRIDERICH WERNER h. X. eos instituet, qui ad *geometriam practicam*, futuro semestri docendam, praeparari cupiunt; collegium quoque *theoreticum priuatum*, secundum *Kaestneri* vel *Karstenii* praecepta hora *Dni. auditoribus* comoda offert.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. *Theolog. Profess. publ. extraord.* In *diuini Pauli ad Titum epistolam* commentabitur, ita vt singulas sectiones, dispositiones *homileticae* excipiant. *Lectiones ebraicas* in *Psalms*, & *graecas* in *Xenophontis Cyropaediam*, cupientibus offert.

D. IOANN. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, *Med. Prof. Extraord.* Hora XI - XII. *Chirurgiam*, duce *Cl. Callissen* in *Institutionibus chirurgiae hodiernae*, proponet, & *operationes chirurgicas* in *demortuorum corporibus* instituet, atque in his perficiendis *auditores* exercebit. Hor. II - III. *Artem obstetricandi*, ad ductum *Cl. b. m. Roedereri* in *Elementis artis obstetricandi*, tradet, & cum *auditoribus*, qui iam aliquos profectus in hac arte fecerunt, quauis data occasione, *parturientibus* manus *auxiliatrices* adhibebit. Hor. III - IV. *Modum fascias chirurgicas applicandi*, praecunte *Cl. Henckel* in *der Abhandlung von Bandagen*, docebit.

Praeter ista *Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus* de *luclenta equitandi, pugnandi gladio saltandique palaestra, Gallicae item & Italicae linguae* scholis, per *magistros* earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Gissae, Ex Officina Brauniana.

